

ceptionis celebrari de præcepto ab universis Christi fidelibus, ne diceretur per illam decidisse *Mysterium*, & non in idem venire institutionem festi, & definitionem articuli, apposite titulum *Constitutionis* sic disposuit: Ut festum Conceptionis B. Mariæ Virginis immaculatæ de præcepto ubiq; in posterum observetur. Ubi serio animadvertendum, non dixisse, ut festum immaculatæ Conceptionis, sed ut festum Conceptionis B. Mariæ Virginis immaculatæ: ut ostenderet, verbum immaculatæ non cadere supra Conceptionem, sed supra Virginem Mariam, confirmando, quod diximus, festum esse quid distinctum ab articulo. Hinc notanda est particularis notitia, quod cum extra Urbem in quadam Italiae civitate impressa fuisset *Constitutio* ordine in verso, nempe sub hoc titulo, ut festum immaculatæ Conceptionis B. Mariæ; indoluit Pontifex, & sub die 12. Octobris 1709. loci Ordinario commisit, ut acriter moneret illos, qui huic alterationi dederant manus, & jussit supprimi impressionem vitiatam.

Atqui si viveret Picininus, merito Gottum (id quod tanti viri pace dixerim) & si quis alius hac responsione uteretur, posset ridere. Diceret enim, Alexandrum Septimum declarasse, quod sit objectum Ecclesiastici cultus in Conceptione, hoc est, esse Deiparæ præsertionem ab originis labe; eique cultum semper delatum ab Ecclesia Romana. Vel ergo Pontificis, & Ecclesiæ Catholicæ judicium contemnitis; vel si hoc facere nefas arbitramini, non potestis jam dicere, quod antea dixerat Bellarminus, *fundamentum hujus festi præcipuum non esse Conceptionem immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ*. Cum itaque in Bellarmini responsione ridiculum sit collocare præsidium; age, mecum respondeas Picinino, Riveto, Dallæo, cæterisque partibus Ecclesiæ Catholicæ: Sanctos Patres antiquos, & recentiores intemperatæ Conceptioni Mariæ non adversari, multos etiam conceptis verbis favere: ita locum Theologicum ab auctoritate Sanctorum Patrum esse constantem: Ecclesiam colere præsertionem Deiparæ ab originis labe, in